

ANTONII CAESARIS
 MARTIA TERRESTIA
 LIBER QUARTUS.



Uandoquidem non segnis hiems pluuiisque geluque
 Clausit in hibernis uistas a frigore gentes
 Hannoveras, multasque alias, unaque Britannas:
 Broglius idcirco vigil excubat: agmina quondam (1)
 Dissita per villas passim, variasque per urbes
 Avocat in castra, & corpus collegit in unum.
 Et licet inferior numerus sibi: millia quina
 Viginti supra capitum cernebat adesse:
 Contra ea Branfvichus prope quinquaginta legebat
 Sub signis properare suis noctuque diuque.
 Consilii huic illud porro, spesque illa subibat
 Discinctas Gallorum acies invadere primo
 Mane interceptas, & profligare sopitas:
 Quo simul obtento, pectus fiducia longe
 Amplior incessit, reliquas irrumpere terras
 Imperii; tum more novo corradere quidquid
 Hic pretii fuerit, frugum vel quidquid in ipsis.
 Tempore quo pariter diversa ab sede pararet
 Irruere, & Boicas miles Borussus in oras:
 Atque ita, discreta quamvis regione, Viennam
 Impetere, & capta bellorum absolvere metam.
 Talis consilii sed porro falsus uterque:
 Mater ubi Auxilii nisum disjecit utrumque.

Illius

Illius auspiciis, Boruffis obvius ivit
 Daunus, & a Boicis exegit finibus hostes
 Brandeburgiacos, Moravisque faceffere terris
 Compulit ejectos: pugnando exinde fugavit
 Saxoniae e multis oris, Dresdamque recepit.
 Auxilio Divae Matris sic redditus aequae est
 Broglius exfomnis: quoque idem praeditus acri
 Ingenio, tenuit Branfvichi Principis astus:
 Nec tenuisse satis, delusit at astibus astus.
 Interceptores ille interceptit, & ille
 Non modo majores vires aequavit, easdem
 Viribus at parvis fudit, superavit, abegit;
 Francigenae & genti maculas abolevit iniustas:
 Cum docet haud gentem, victus quod gentis at ordo;
 Dum fuit illa simul transacto tempore pulsa.
 Hoc fuit artis opus mirae, fuit ordinis apti.
 Sic locus est natus, turmas ubi Broglius omnes (2)
 Collegit: placido tollit se vertice clivus:
 Hunc super erigitur turris, latisque coronat
 Moenibus, & late campis dominatur apertis.
 A latere ascensus facilis deduxerit hostes
 Turris ad assaultum, pagique ad tecta propinqui,
 Indigenis dictus patrio qui nomine Perge.
 Hunc aditum obstruxit sapiens sed Broglius; aequor
 Appositum & vallis, ingestaque arbore munit:
 Additus est agger juxta, cervique praeusti.
 Arduus hinc adeo est aditus, viaque invia facta;
 Ut foret Hannoveris multo tentanda periclo.
 Et latere ex alio tellus discedit hiatu
 Immodico, vallisque finum defedit in altum,
 Objicibus justis pariter munita sed illa.
 Tendere Brogliades ergo praecepit, ubi hostes,
 Quae

Quae multa e variis deduxerat agmina villis,
 Digerit ad pagum, vicinae & moenia turris:
 Digerit, at vero talis rationis ad unguem,
 Vicerit ut merito, studuit cum vincere posse.
 Post tergum arboribus septum vestigia figunt
 Octonae peditum turmae, quas quinque secutae:
 Has gemina excepit legio, quae nempe futura
 Praesidio, infausti siquid continget utrisque.
 Saxones a laeva pedites sedere: cohortes
 Mox equitum multae, tormenta & martia ducta.
 Haec ubi disposuit tam recte Broglius, hostes
 Non modo non metuit, sed anhelos corde moratur,
 Impatiensque morae est, tardas incusat & horas.
 Interea Fiscer, tueatur ut horrea, missus; (3)
 Francigenae Fiscer pubis spes altera: clades
 Infensis Fiscer populis, tutela suorum:
 Fulmineo Fiscer velut intractabilis ense,
 Sic calamo insignis, Phoeboque acceptus utrique,
 Spicula libranti, pulsanti & pectine nervos.
 Jam Bransvichiades Princeps Fernandus at instat,
 Et petit assultans plusquam vice simplice: verum
 Est vice plus una Galli virtute repulsus.
 Dum sua vis ergo, dum spes defloruit aequae,
 Gloria ne pereat, vafros descendit ad astus.
 Non procul a Perge clemens fastigia clivus
 Erigit, & latos pedibus spatatur in agros.
 Mentitur tunc ille fugam, fingitque timorem;
 Et jubet, ut turmae propere volvantur in orbem;
 Montis & ad tergum versae vestigia fistant.
 Ille ratus ferme; Galli quod ab indole rapti
 Praepropera, genioque suo fugientibus instent.
 Hinc fore, transgressos clivum, campisque potitos,
 Q Ela-

Elatosque animi, & certos meruisse triumphum,
 Abruptisque jugis ideo, nec in ordine ductos
 A latere invadat, penitusque affligat ad unum.
 Brogliadae sed major erat prudentia, major (4)
 Vafrities mentis, commenta ut fallere possent:
 Continuo priscos habitus, cordisque feroces
 Exuit, & mores sumpsit diversus ab illis.
 Qui prius exacuit fortes ad praelia dictis,
 Cum ducis integras partes, & militis explet;
 Is modo militibus fervore remittere mandat
 A solito; sed stare sua statione paratos
 Irruere in pugnam, si forte reverterit hostis.
 Qui prius increpuit segnes, vitaeque timentes
 Acribus aut dictis, oculisque vomentibus ignem;
 Is modo connivet, fingitque haud nosse pavorem
 Pectore conceptum, qui nunquam arriserat ante;
 Et quem damnarat, capta statione morari
 Imperat: & redeant hostes si forte, manere
 Ad pugnam accinctos, maculasque abolere pavoris
 Hannoverum, propriique absterfas sanguinis unda.
 Degeneres, variosque ducis gens utraque sensus
 Miratur: videatque licet, vix credit, & inquit
 Haec mussans tacitus. Quorsum nunc Broglius ille?
 Oblitusne sui; nostrumque, & Regis honorem
 Dedit? Nuper dubios nos vincere jussit:
 Cur modo victores inhibet, certosque triumphos
 Abstrahit a manibus, renuitque insistere victis?
 Interea gaudet vitasse pericula segnis:
 Et piget audacem, quod strenuus obvius ivit
 Ignibus & ferro, nec vulnere saucius uno.
 Ast utrique manent, quamquam discordibus acti
 A studiis; audet gressum praeferre nec ullus.

Hos animi sensus vario cum vidit ab ore
Broglus expressos, nec parvum murmur ad aures
Illius adrepsit; praesto fit miles ut omnis
Obsequio aequali, & dicto servire paratus;
Constitit altus equo, placidaque haec voce locutus.
Qui stupor incessit, dubium vel corda quod angit,
Excutate; & mentem subeat fiducia: jussi
Omnibus injuncti causam pandemus apertam.
Stare velim: non hostis abit, commentus abire:
Porro erit, ut revocet propero vestigia gressu;
Discinctosque ratus, lapsos & ab ordine recto
Vos primo assaultu, facillique avertere: victus
Ast erit, & referet, quod damnum inferre putabat.
Vos simul ac cernet pugnae, cladique paratos,
Quae frustra concepta fuit, fiducia mentes
Deferet, illiusque loco novus ingruet horror;
Quam manibus, potius pedibus credentque salutem.
Hinc hosti exitii, vobis & causa triumphii.
Hoc simul ac dictum turmas pervasit in omnes,
Consistunt alacres, cupiuntque, adventet ut hostis.
Id simul advertit cautus Fernandus, in iras
Exarsit; cassesque suas ubi vidit inanes,
Indoluit; tacitoque fremens haec pectore volvit.
Non est falsa sagax vulpes, sed fallere mallet.
Despondet tamen ille nihil: quaeque ardua virtus
Est animo, gaudet, quoniam discrimina obire
Copia, virtuti propriae minus esse putatum:
Majus & inde decus, gravius discrimen ubi esset,
Progreditur, celeratque ferox, nil territus hostis
Aspectu, certusque mori est, vel vincere. Miles
Ut reliquus porro sensus simul induat aequos,
Quo valet eloquio, sic militis excitat iras.

Ergo iter emensi per aperta, per ardua longum,
 Perque dies denos passi frigusque nivesque,
 Pollentes numero, Germano & sanguine creti
 Venimus; ut paucas, & Gallo e germine turbas
 Inspiciamus, & in patriam redeamus inulti
 Non modo: sed contra gens prorsum ingloria, gensque
 Totius Europae sanna laceranda procaci?
 Non ita: sed talis quoniam solertia cauti est
 Brogliadae, ut falli nequeat; superemus, oportet:
 Vis adhibenda modo est, quando nihil obtinet astus.
 Unanimi assensu sunt dicta excepta: suamque
 Polliciti sunt quisque operam: penitusque sub uno
 Temporis articulo jam signa infesta videres,
 Et versas acies propero contendere gressu,
 Multiplicesque rotas tormenta evolvere Martis,
 Et validos axes sub iniqua mole gementes
 Acciperes, lituique animas indicere pugnam.
 Hannoveros vidit reduces ubi Gallica pubes,
 Tum recte assequitur, quidnam sibi Broglius olim
 Innuerit, quando turmas consistere iussit:
 Gratanturque sibi, pariter gratantur & illi,
 Quod bene praevidit, cautas eludat & artes.
 Strenuus hinc inhiat pro vulnere reddere vulnus;
 Virtutisque suae documenta vel edere segnis.
 Jamque in conspectu fuerant, aciesque sub ictu
 Tartareae stabant molis, cum fulmina Martis
 Intorfere faces, magnos jaculantur & orbis;
 Atque prius flammis oculos fulgetra coruscis,
 Quam feriant aures infesta tonitrua bombis.
 Cum vero propius turmae venere, minores
 Projiciunt illis glandes, a grandine quarum
 Integra sternuntur pene agmina. Nuper ibidem,

Qua

Qua fuerant acies sagulis armisque decorae,
 Protinus hic miseris exanguia corpora formis
 In latus, in tergum, in pectus revoluta supinum
 [Horrendum visu] proprioque infecta cruore,
 Et comitum mutilos artus, scissosque lacertos
 Cernere erat. Talis species tamen horrida rerum
 Hannoveros adeo nulla formidine fixit,
 Ut potius faevae stimulos subjecerit irae.
 Est furor ulcisci fraudes paulo ante reiectas,
 Ac quod non astu, nisi extorquere patenti.
 Stat ruere, instanti stat & ultro occurrere morti.
 Promovere pedem; jactataque signa per auras
 Invexere; manu sclopos strinxere; propinqua
 Atque ubi meta fuit, glandes torfere minores,
 Impete tam celeri, ut fuerit jurare facultas
 E gremio foetos illas fudisse canales.
 Spissior hinc mortis species, stragisque coorta:
 Nec modo non parcunt, verum indulgere furori:
 Trajiciunt, jugulant, feriunt, caeduntque, necantque,
 Cum res ad gladios sclopi de culmine venit.
 Quid vero interea Gallus, quidve arduus heros
 Broglius? A capta nusquam statione recedit,
 Haud secus ac jussus Gallus; verum ignibus ignes
 Excipit, & gladios gladiis, atque ictibus ictus:
 Cura nec, ut mortem vitet, nisi vitet inultus.
 Qua spectant acies interlucere, frequentes
 Continuo reddunt: socius qua concidit, alter
 Se celer intrudit, stratoque e corpore pugnat,
 Et parit invidiam comiti, qui tardior ivit,
 Occupet ut vacuum spatium, stratisque parentet;
 Atque etiam Hannoveri tumulet cum corpore caesi.
 Dum sese insinuant, statio qua rara dehiscit,

Inva-

Invaduntque locum fusi, morsque unde minatur;
 Francigenae cupidi secum obluantur, & urgent,
 Exultantque alacres, si tandem copia detur,
 Quos inhiant, implere sinus. E viscere terrae
 Dixeri exortum, quando sese invehit agmen
 Agminis in sedem sternentis corpore terram
 Extincto, sociisque aditum signantis apertum.
 Unde sed hic ardor, tam fervidus impetus unde,
 Ut prope vesani, debacchantesque furore
 Non modo non abeant, studium est sed obire periculum?
 Broglius in causa est, princeps & Broglius auctor.
 Creditus est vulgo divinavisse, quid hostis
 Cogitet, & fraudes animo tenuisse sagaci,
 Atque aliquid mortale super fore: nosse latebras
 Qui cordis valeat, venturi & praescius esse.
 Haec ubi fixa fides animis fuit, inde coortus
 Impetus ad pugnam, & fiducia certa trophaei:
 Atque ideo irrumpunt avidi, studioque tenaci
 Praeripere intendunt palmam, palmaeque decorem.
 Hinc licet Hannoveri quinque assultibus instent
 Mordicus, & flammam inter versentur & enses,
 Ac studio aequali curent occurrere morti,
 Omnia sunt frustra: quina vice quippe repulsi
 Sunt semper, retroque pedem revocare coacti;
 Praeterea & madidam linquentes sanguine terram,
 Et clade enormi, proprii velut indice damni.
 At porro norma ille ducum, vigor ille virorum. (5)
 Quid modo, vel quorsum praesens ubi Broglius ergo,
 Dum fera pugna calet? Qua purior emicat aer,
 Flamma nec, & fumus liquidas se volvit in auras,
 Non illum video: qua turbine densus uterque,
 Nec pariter video, quoniam vel opertus ab ignis
 Multi-

Multifidi nimbis, densique volumine fumi
 Haudquaquam apparet; nostrisque obstrusus ibidem
 Est oculis: rapidi quoniam vel ab impete raptus
 Quadrupedis non haurit iter, sed fulminis instar
 Evolat huc illuc, & hiantia lumina velox
 Nostra fugit; veluti fugiunt, quas Martia torquent
 Invisas tormenta pilas: at lumine mentis
 Ob fumi, flammaeque aciem comprehendimus ire.
 Sic ut non videam, videor tamen ipse videre
 Brogliaden: illic siquidem versatur, & illic
 Ad pugnam aut acuit, pugnatque acerrimus ipse:
 Qua modo majori, flammaeque & turbine fumus
 Evehitur, gliscitque: inibi pugna horrida fervet
 Hannoverum, Gallumque inter: violentus ibi urget
 Gallus: at Hannoverus sensim virtute remittit
 A solita, spectatque locum post terga receptus;
 Et sese revocat, campoque excedit: apertum
 Occupat hunc, Gallusque ferox cedentibus instat.
 Brogliades hic nempe manet, quaque aspicit hostem
 Multa obluctari, volat illicet: hoste repulso,
 Tunc alio pergit: non cessat & ire, redire,
 Aequalis donec fuerit victoria parta.
 Atque ibi quantumvis illum fera bella cientem
 Non videam; possim sed conjectare, quod adsit,
 Dum cerno Gallos urgere ferocius, & dum
 Hannoveros laevi concedere Martis arena,
 Et parte in varia pugnam fervere, fugamque.
 Sic etiam incubuit campis simul Eurus apricis,
 Et contra obnixis Aquilo stridentior alis,
 Haud animam illorum timidus peregrinus, at undas
 Pulveris adversas sese glomerare per auras
 Suspicit, & pugnas ventorum conjicit inde.

Ergo

Ergo ubi Branfvichus fenfit, delufa quod arte
 Ars foret, & tempus tereret, quando irritus aufis
 Exciderit, fecum indoluit; lituique receptum
 Ut canerent, juffit: quorum fonus impulit aures
 Militibus, pariterque animos: praecordia terror,
 Spe procul expulfa, fubiit, delapfus & inde
 In faciem invadit: pallorque infcriptus ut ore eft,
 Sic rubor exceffit, quem flamma appinxerat irae:
 Ac defiderium praedae necis horror abegit.
 Signa cadunt dejecta: gradu venere citato;
 Plus celeri evadunt, & vertunt ora subinde,
 Solliciti ut fpectent, an quisquam in terga feratur.
 Sic lupus in caulas tacito pede tendit; ovesque
 Jamjam mente vorat, jam fanguine pascitur haufio:
 Vis at odora canum fimul illum fenfit adefse,
 Protinus exurgunt, feriunt latratibus auras,
 Pastoremque cient: pastor clamore citatus
 Sedulus occurrit, rabidosque irritat in hoftem.
 Hoftis abit, tacitaque fuga feffe abripit; utque
 Spe primum depaftus oves; fic inde veretur
 Ne fit praeda canum, faevo laceretur & ore.
 Non ibi mentitum, fed Broglius efse receptum
 Ut verum advertit, jubet ilicet ire cohortes
 Non paucas equitum; levior quibus armatura;
 Velitibus junctis & carpere terga subinde;
 Res ubi nata foret, feque utilis offerat anfa.
 Praecipitare fugam, fraenisque evadere laxis,
 Atque, prius fedem quam defervere, remotam
 Obtinuilfe, fui nimbos & pulveris actos
 Praeteriiffe: folum grefsu fcripfilfe nec ullo
 Afpiceres equites, oculis fi copia detur
 Pofse fequi, juvenumque alacrem fpectare volatum.
Mox

Mox ubi deventum est: tum siquis ab agmine lapsus
 Hannovero, manicas induit: & siquis in hostem
 Objiciat pectus, glande effodere, vel ense.
 Non tulit hanc vero speciem Fernandus: ubi hostes
 Acrius urgentes vidit, propriasque labantes,
 Dimotasque gradu, deturbatasque catervas;
 Ancipiti & paucos miscentes praelia corde:
 Quam fugere, at potius cupiens occumbere fato:
 Advolat ad primos versus: monet, arguit, orat:
 Ejus & excudit praesentia vivida tandem,
 Ut se restituant acies, animisque receptis
 Firmius incumbant; sibi quisque hortator & esset;
 Horteturque alios audens audere timentes.
 Quae prope consenuit, nova pugna recruduit ergo:
 Ac Bransvichiades animis ferventibus usus,
 Instat agens: felix quin rebus ut exitus iret,
 In turrim moles plus quinquaginta curules
 Dirigit immensi torquentes ponderis orbem;
 Quo septum arboribus structum, turmasque tuentes
 Impetit, & lacerae convellit moenia turris.
 Broglius at prudens conspexit ubi agmina cladi (6)
 Obvia perpetuae, revocat; revocataque mandat
 In latus Hannoveri violento incumbere nisu.
 Hic rem decrevit: consternataeque catervae,
 Atque laborantes, mutilaeque iniere receptum.
 Quique ignominiae ne prorsum obnoxius esset,
 Et magno objectus damno, sub vespere primo
 Fernandus movit, rursusque invadere finxit:
 Ac postquam noctis tenebras conspexit adultas,
 Illarum obtentu tectus concessit arenae;
 Et secum abripuit fessas mutilasque phalanges:
 Has ut per pagos, varias discescat & urbes.

Ac tristis, quod victus erat; laetusque, quod omnes
 Militis ut partes, magni ductoris obisset.
 Sic postquam Hannoveri cessere a pulvere; Galli
 Adveniunt, & quidquid ibi prostaret, adepti:
 Innumeros currus variis a rebus onustos
 Depopulant, capiuntque alios tormenta ferentes.
 Gentibus ex illis, secum quae foedere nexae,
 Occubuere neci tria ferme ad millia: major
 Est vero numerus, passim qui saucius haesit.
 Contra ea fleverunt Galli duo millia; verum
 Saucia pars major, pars caetera dedita morti.
 Haec igitur pugna illa fuit, victoriaque illa,
 Auspice quae coepta, & pariter quae vindice Matre
 Auxilii parta, & seclum memoranda per omne
 Teutonicis populis: cujus secus alea quando
 Acciderit, duri spectacula barbara belli
 Urisset tacitis Germania tota querelis.
 Auxilii Matri toto Germania corde (7)
 Persolvas, repetas & grates semper: eidem
 Acceptum & referas, quod libertate fruaris.
 Brogliadae debes meritas & reddere grates,
 Indicium cujus, cujus solertia, virtus
 Strenua, bellipotens, penitasque exulta per artes
 Et timida cervice jugum tibi depulit, atque
 A bello asseruit, libertatemque redemit.
 Et tibi, Brogliade, grates fas reddere dignas
 Auxilii Matri: pietas tua plurima quippe
 Vicit, ut eligeret te solum e millibus unum,
 Qui vindex, auctorque fores; Germania cujus
 Praesidio e fluctu bellorum emergere posset,
 Integraque optatae portus succedere pacis.
 Hoc titulo Augustus porro est Franciscus adactus, (8)
 Ger-

Germanos inter Proceres adscriptus ut esses;
 Ut quorum assertor fueras, comes additus ires
 Virtutis merito, non sanguine clarus avito.
 Quod frustra indignus quisquam sibi vertit honori,
 Ni titulo excelso virtus sit congener aequae.
 Quod quis fortitur, sibi nemo adscribere debet;
 Quodque animum est extra, pretii nullius habendum:
 Nil proprii est; sortis, caecaeque ea munera noctis.
 Si tibi Franciscus primus titulumque decusque (9)
 Principis adscriptum voluit, subselliaque inter
 Germanos Proceres ultro concessit; & aequae
 Se largum exhibuit merito Ludovicus: is, inquam,
 Qui licet haud ortu, certe virtute merebat
 Gallorum Rex esse; adeo recta omnia librat
 Qui trutina, qui respectu nullius adactus
 Expendit gesta una sagax, gesta una rependit;
 Ut donis oneret, dignosque extollat honore.
 At contra indignos exempla potentia sancit;
 His ignominiae maculas nam praeter iniustas,
 Exigit aequales culpaepro pondere poenas.
 Ille igitur quoniam vidit, quam strenuus, & quam
 Sedulus excellis, mentem quam providus hostis
 Assequeris, fraudesque tenes, vertisque regeftas
 In caput artificis, propriaque irretis in arte;
 Propterea licet ille nimis divesque potensque,
 Est pene exhaustus, dederit tot munera quando,
 Ut sit nil reliqui, cupidus quod reddere possit.
 Es tu dictus eques, gestasque insignia cuncta,
 Quae decorant equites. Princeps legatus in armis,
 Francigenae censor peditis, pretioque merentis.
 Non modo Bethunae, Praetor regionis at omnis.
 Inde exercituum, quotquot Germania spectat,

Tu prior, & summus Ductor: quo nomine missum
 Auctoramentum baculus, qui vile vel aurum,
 Viliaque argento fulgentia lilia ducit;
 Cui titulus quovis pretio pretiosior iste est:
 Pacis honos, bellique timor. Mox reddere plura
 Suppeterent cum nulla, offert Alfatia donum.
 Haec vocat: & subito Praetor tu dictus utrique
 Ergo age, Brogliade: possis quae dona referre,
 Suppeditant si nulla, tui nisi Regis amorem,
 Progredere: ut veluti es meritis, merearis & usque:
 Si tali, donum omne super, contentus amore es.
 Quo vero evasit, vel quare evanuit illa
 Ardua, bellipotens, & virtus strenua Galli?
 Cum non ulli alii, sed vero prorsus iidem,
 Qui modo victores, numerus queis major, & ipsi
 Ductores, idemque vigor, eadem arma, manusque,
 Quosque, Duces primos ultra, Contadus agebat
 Queis pedites praeter, plus sexaginta cohortes
 Florentes equitum, tormentaque plurima priscis
 Addita: congressi quare ergo terga dedere?
 Quodque magis mirum, medium penetravit in agmen;
 Qua vigor ille virum, flosque ille, equitatus adesset
 Hannoverus, facilique manu subito impete fudit,
 Exiit & castris aut strage, aut sanguine foedis.
 Zoilus haec, quorum numerus non parvus in urbe
 Vindobonae, quique esse rati vatesque ducesque,
 Omnia divinant, quae proxima deferet hora;
 Omniaque instituunt quavis ineunda sub hora;
 Nostrorumque ducum damnant pene omnia facta;
 Hostis & excelsis tollunt praeconia dictis.
 Haud equidem invadam munus vatisque ducisque:
 At, mihi quae menti sedeat sententia, promam.

Auxi-

Auxilii Mater praestat, vincantur ut illi,
 Theresiae fines queis cura laceffere bello.
 Francigena Hannoveros armis incessit: at armis
 India respectus: cum distet & India longe
 Theresiae a terris, ideo Regina sagacis
 Auxilii partes iusti non vindicis implet:
 Et quidquid tulerit, dubii ferat alea belli.
 De reliquo quaecumque forent Contadus agenda,
 Egerat apposite: verum Branfvichius heros
 Consilia evertit: proprias tali ordine turmas
 Instituit, Galli fuerit turbatus ut ordo.
 Quod mea mens minime deflectat devia vero: (10)
 Adstruxisse fidem dictis gens Russica visa est;
 Aufriadum instantes terris ubi perculit hostes.
 Sarmatiae haec postquam fines egressa, petiti
 Ad Borussiaci devenit limina regni.
 Hic turmae explicitae, quas Soltikoffus agebat.
 Canities spectanda viro, sub vertice cano
 Fervida mens, pectusque calens, & corda timoris
 Nescia, robustique artus, & dextera pugnax;
 Vivida mens, habilisque suas expendere vires,
 Hostis & appositas, utique erroribus hostis;
 Ut facili referenda sibi victoria nisu.
 Martia quae fervit calido sub pectore flamma,
 Fortis ad audendum, praesensque implere, quod audet.
 Sit licet enormis, nulli obvia corda timori
 Impellunt, adiguntque manus ad strenua quaeque.
 Cujus & haec summae fuerint praeconia laudis,
 Sub magno assidue meruisse stipendia Petro:
 Florida vel membris, fuerat devexa vel aetas,
 Semper & acceptus, semper comes additus olli.
 Quidquid inexplicitum, vel inextricabile visum,

Huic

Huic delegavit Petrus; duxque impiger actis
 Expediit sese, spem supra, & vota iubentis.
 Petrus ubi, quoque ductor ibi: mens vivida magni
 Petri affectabat, summamque inhiabat honoris:
 Et Soltikoffi servivit dextra volenti.
 Ac nisi mors praecox, mors invida, morsque triumphos
 Dum numerat, creditque senem, voluisset ademptum,
 Soltikoffus adhuc socius foret, isset ubi ille,
 Atterat ut Turcas, Persas debellet, & Indos.
 An quia mors timuit juxta succedere, Petri (II)
 Et vita abstinuit, vita concessit & ultro
 Petrus, ut extaret nunc Soltikoffus in orbe,
 Qui sibi prout quondam, Natae obsequeretur honori;
 Et Natae assereret sibi multa asserta trophaea,
 Dum Borussiacas vires avertere perget.
 Ac ducis invicti bene mente, & corde, manumque
 Usa modo est nostri lux clarius Orbis Elisa,
 Et secli Petrowna, duplex cui Russia paret
 Augustae; imperio cujus felicior illa
 Est modo, quam fuerat quondam, quam speret & esse.
 Augustam Deus ipse sui de limine tecti
 Subripuit, folioque libens invexit avito.
 Vox populi, vox quippe Dei, vox ista sub ipso
 Principio levis, ut duodeno a milite nata:
 At subito extremas Asiae pervasit ad oras,
 Et magnam Europae partem; similique tenore,
 Unanimi & sensu clamor sublatus ubique.
 Vivat Elisa diu! Vivat Petrowna diuque!
 Vivat io Augusta! Regat velut altera Mater
 Ut populos, magnique terat vestigia Patris;
 Illius & palmis palmas rursus aggerat; addat
 Et decori decus, atque novas simul artibus artes;
 Augeat

Augeat & belli vires terraque marique:
 Nullus ut in fines nostros incurrat, & aequae
 Nullus in illorum, qui nexi sagmine nobis.
 Haec populi, vox nempe Dei tunc temporis orta
 Insonuit; vocemque ratam nunc reddit Elisa.
 Nam simul illius vox dissona perculit aures,
 Quod Borussiacus miles, commentus amicum,
 Saxoniam terram, Boicamque invaserat inde,
 Perpetuo quondam, & sacro sibi foedere junctas;
 Tunc similis Petrowna suo quae caetera Patri,
 Dum populi mores, adscitasque erudit artes,
 Incubuit Patri bellis quoque congener esse.
 Congener & Petro penitus fuit omnia; Petrus
 Haud etenim affines tantum pugnavit in hostes,
 Ast etiam in proprii juris gentesque ducesque.
 Nullus amicitiae, respectus sanguinis olli
 Et nullus: secuitque suam sibi dextera laevam:
 Praestitit herois sic pectore grandis Elisa.
 Quos Borussiaci, quos Angli fulgor & auri
 Reddiderat caecos, fidos gratosque ministros
 Jam sibi, dejecitque gradu, rejecit & aula:
 Et potuit laevam propria sibi scindere dextra;
 Dummodo religio constet, tueatur amicos.
 Et Siberiacas alios exegit in oras,
 Perpetuis tectas nivibus, glacieque perustas.
 At pia se nullo voluit maculare cruore.
 Quo genere est Petro melior Petrowna putanda
 Praecipiti in clades, & fundere sanguinis undas.
 Poenas expetiit Petrus, sed tempus ademit
 Sontibus, ut doleant, vitamque retexere curent
 In melius ductam: poenas inflixit Elisa,
 Non mortem; concessa reis ut copia nullo

Sanguine, sed lacrymis maculas abstergere culpae,
 Dum vitam instituent frugis potioris ad usum;
 Et redimant factis scelerum monumenta probandis.
 O genus egregium poenae, qua noxius ipse
 Gaudeat, & grates referat pro munere poenae!
 Sic contra fontes sese inclyta gessit Elisa,
 Justitiaeque simul partes, pietatis & implet.
 At contra infensos hostes nova bella cientes;
 Ut quibus haud eadem est pietas adhibenda, locumque
 Vindicat ista sibi nullum; quam cauta sagaxque
 Inviictam exhibuit sese Petrowna, precesque
 Neglexit, sprevitque minas, oblataque dona.
 Durior at scopulo, rabidas qui marmoris undas,
 Et Zephyri placidas animas non sentit adesse,
 Immotusque in sede sua, firmusque moratur,
 Horrisoni victor venti, pelagique frementis:
 Sic quoque Russorum felix Augusta, recepit
 Quod semel, infraeta cum religione tueri
 Incubuit tota, & precibus non victa minisque;
 Promissamque fidem non tantum exsolvit, at ultra
 Excessit; supra centum quia millia misit,
 Non quot pollicita est, tantum triginta virorum,
 Quam vero intenta cura, studioque perenni
 Excubuit Petrowna, suis sibi foedere junctis
 Consulat ut fociis! Pelagi glacialis ab oris
 Littus ad Euxini, tumidasque Borysthenis undas,
 Europaeque plagas litui sonuere, tubaeque,
 Tympanaque increpuere, manus ad signa vocatum:
 Robustas avidasque manus, arma, arma petentes.
 Qualis in Augusta porro fuit ardor, & idem
 Ingruit in populos; perque oppida quaeque, per urbes
 Quilibet est aptus bello, se credit & aptum,

Arma

Arma fremit, cupit arma, ruit, contendit ad arma.
 Dixervis Augustae mentem, sensusque feroces
 Omnibus injectos, populos abiisse per omnes:
 Petropolique ex urbe, patet qua Russia tota,
 Possideat quod prorsus amor, bellique cupido,
 Quam proprio ex animo reliquis dispertit Elisa,
 Reddat ut audentes, & amantes munia Martis.
 Ut quoque Caucasei Titan e vertice montis
 Cum primum exoritur, vestit procul omnia luce;
 Omnia purpureo late splendore coruscant;
 Omniaque accepto rident rediviva colore.
 Hinc etiam factum est, animis siphonis ut icetae
 Undique fornaces flagrent, atque undique ferrum
 Incudi adjectum resonet, cudantur & arma.
 His armis, gemino postquam certamine victus (12)
 Est Borussiades, Borussia tota subacta est.
 Gloriaque haec vigili Wernero asserta; quod hostes
 Fregerit, & regnum servire coegerit omne.
 Imperio Augustae, fatius cui cognitus ante,
 Praefuit his armis, & Soltikoffus ubi inde
 Sarmatiae fines adiit, Borussicus illi
 Obvius it miles, Wedel legatus & egit.
 Hi ubi venerunt, montes adiere supinos;
 Et terga illorum stygiis armantur onagris.
 Prae clivi pedibus densus multa ilice lucus,
 Arboribusque aliis ingentia brachia pandit;
 Quo latere haud ullus posset succedere tutus:
 Tum latere ex alio limosa, obsessa salictis
 Subsidit, latumque palus spatium in aequor:
 Utraque pars ergo prorsum insuperabilis esset.
 Hinc Soltikoffus siquando invaserit hostes,
 Sic super unus erat trames, quem posset inire.

Hujus at in frontem centum muralia tela
 Prona jacent flammaram acies missura, pilasque
 Principio ingentes, imbres mox inde minores,
 Cum procul, aut montes propius gens Russa subiret.
 Haec Borufforum statio, stationis & hujus
 Horridus aspectus reliquos formidine justa
 Perculerit, licet infractos; allectus eodem est
 At Soltikoffus: quando graviora pericla
 Strenuus incurrit Petri jussuque, comesque:
 Cui satis id fuerat, quod tantum aspexerit hostes,
 Ut ferus invadat, numerum nec curet, & arma.
 Sic lea conspiciens surgentem in cornua taurum,
 Quassantemque jubas, foenumque in fronte gerentem,
 Anxia nil haeret, stimulisque impulsa vigoris
 Ingeniti, contra se protinus agmine recto
 Involat, aggreditur, collo infilit, & ferit ungue,
 Amplexumque tenet, rabido discerpit & ore.
 Haud secus invexit se Soltikoffus in hostes,
 Montibus ut tutos, silva septosque lacunis.
 Ut Borussiadae videre insignia versa
 Tendere se contra, tum sortem evadere pugnae
 Pro meliore rati, lituo indixere receptum,
 Vasaque conclamant, captoque a monte facessunt,
 Suntque iter ingressi ducens ad moenia Crossae,
 Ut turmas inibi Regis, Regemque morentur.
 Mens Soltikoffi porro divina futuri
 Id bene praecepit: praevertere curat & hostis
 Consilium: mittit validas, mora nulla, catervas,
 Et jubet, invadant lati divortia callis,
 Qua via Boruffos ducet praetoria Crossam;
 Suggestusque inibi condant, suggestibus aptent
 Ignivomas moles, stygios jaculentur & orbes

In Brandeburgum; qua Brandeburgus adesse
Est simul ac visus, belli explosere canales
Ruffiadae contra, tempestatesque pilarum
Intorsere: vident illi, mirantur & esse
Tam male praeventos: quae vero audacia genti
Insita, convertit velox hostilia signa:
Propositumque sibi potius discrimen obire
Ambiguae pugnae, quam certae obnoxia cladi
Tendere. Conspiceres sub eodem tempore terga
Flectere vel peditum turmas, equitumve catervas,
Praeteritas & inire vias, nusquam ordine rupto:
Sed juga perpetuo, sed pergere tramite versus.
Quod Borussiades, id Soltikoffus & egit:
Stipatasque suas aequali fronte catervas
Arduus impellit, iussas gressu addere gressum.
Utraque sic acies utrique est obvia facta:
Utraque majores orbis torsere balistis:
Utraque mox teretes glandes, atque utraque ferrum
Audaci strinxere manu. Borussus in agmen
Invehitur medium, medium ilicet objicit agmen
Et Soltikoffus, votum deludat ut hostis:
Qui ratus incomptas illic invadere turmas.
Ergo iterum volvens Borussi exercitus orbem,
Temporis in puncto geminam digestus in alam:
Atque in Moschorum se cornu impegit utrumque.
Irritus at pariter cedit conatus in auras.
Ductorum vox una, tubae sonus unus, & unum,
Tympana quod murmur fundunt, in cornua bina
Ruffiacos abigunt, digestoque ordine sistunt.
Tempore quo, medio conspectus in agmine Ruffus,
Hoc quoque conspectus binas discedere in alas.
Illuc abreptum juraveris impete saltus,

Nec pede, sed pennis aquilae properantibus usum.
 Sic oculos, quamvis fixos, fuga strenua fallat.
 Haud aliter turris vexilla in vertice pacta
 Adversi imperio venti fervire videmus:
 Quo Boreas, adigitque Notus: se turbine volvunt
 Praecipiti, celerique abeunt, redeuntque volatu.
 Ergo ubi nil reliqui vidit Borussus ibi esse,
 Quam miscere manum, & Martis tentare periculum,
 Et decore integro vel certae occurrere morti,
 Dedere vel morti, palmas & ab hoste referre:
 Dum Soltikoffus nifus praecepit ut omnes,
 Praevertit simul, & maturius obvius ivit.
 Hic vero exoritur pugnax certamen utroque
 In cornu; volat inde illuc densa aenea grando,
 Exitium, nulloque ferens discrimine mortes.
 Dux cadit & miles, fortis moriuntur inersque,
 Inque ducem miles, fortisque incumbit inertem.
 Cum propius ventum, & stygii filuere canales,
 Stat conferre manum, & nudo decernere ferro.
 Hic Borussiadae tandem sensere vigorem,
 Bellacesque animos, queis Russica turba caleret
 A Soltikoffi facie irritata feroci.
 Hinc licet illorum plusquam mavortia virtus
 Ad geminas pugnae fervorem extraxerit horas;
 Consenuit prope fessa, vigor refrigit & irae.
 Idque magis, quoniam clades illa horrida visa
 Terruerat reliquos: praeter tot corpora functa
 Lumine vitali, ferme tria millia supra:
 Prostabat major numerus, queis faucia membra
 Aut acie inflicti gladii dissecta, vel ictu
 Cuspidis effossa, & flictu trajecta pilarum:
 Quingentisque alii fuerunt mala sarcina carris:

Ac conclamati plures jacuere relictī,
 Aut quia spes vitae tenuis, fuga deserit ipsa.
 Quin & viginti tormenta curulia capta
 A Russis, variis & onusti a frugibus axes.
 Cum Borussiadae cessere a Martis arena,
 Tramite directo Crossen petiere; sed urbe,
 Insequitur profugos hostes dum Russus, adeptus:
 Mox Francofurto, quod fluctibus Odera lambit.
 Cum Brandenburgis Russorum haec tertia pugna:
 Tertiaque est Russis etiam victoria parta,
 Majoris sed longe eadem praenuntia palmae,
 In Borussidas cladis gravioris & index.
 Quae clades illata suis, partusque triumphus (13)
 A Russis, omnes aliis infregerit ausus.
 Haec Borussiaci studium sub pectore Regis
 Exacuunt, cladem majore rependere clade;
 Et decus armorum magis inde augere retusum:
 Victus victores quando deleverit ipsos.
 Ex exercitibus cunctis ergo agmina pulchra
 Legit, ab agminibus variis capita inclyta pugnis;
 Strenua quod multis meruere stipendia lustris:
 Suntque argumento non una obducta cicatrix,
 Et coma sub galeae attritae rubigine cana;
 Serus & incessus, faciesque a sole perusta:
 Qui numero explebant ad sexaginta virorum
 Millia; tum variis tormenta curulia formis
 Avehit, & currus frugum genus omne ferentes;
 Caeteraque adduntur, quae belli exegerit usus.
 Inde iter indicit, contendit & agmine recto
 Sarmatiae in fines, qua Russica castra manerent.
 Indictae vix fama viae sed dissita, quando
 Protinus acceptum est, terras adiisse petitas.

Quo genere insignis nimium Fridericus, & omnes
 Excedit, quos prisca duces jactaverit aetas.
 Non Pyrrhus, Caesarque, & Scipio, & Annibal illi
 Aequus, & assurgens, quando impiger ocyor ibit.
 Illum equidem possim fluvio componere Tygri.
 Exilit hic riguo montis de vertice: magnum
 Et laticis pelagus per devia & invia ducit
 Perpetuo rapidus cursu, similisque sagittae,
 Foenerat unde sibi nomen: vectigal & idem
 Accipit a multis fluviis secum impete raptis
 Praecipiti, nulloque elusus ab objice sistit;
 Semper & illimis, veterique simillimus alveo
 Tendit in Euphraten, semetque immergit in illum,
 Non perdit: color idem, eadem sibi constat aquai
 Vividior species, coenum quia respuit omne:
 Euphratisque lutum calcans, argenteus errat.
 Sic Borussiadum celerem contendere Regem
 Crediderim: a propriis oris vectigal, & hostis
 Ducit inoffensus, semperque illaesus ubique;
 Praeterit instantes, abigitque inhibere parantes:
 Occupat & famam, vel praevenit; ire paratus,
 Venit: & est coram, cum ducitur ille movere.
 Ergo ubi deventum est, ea cura potissima menti (14)
 Incidit, ut Russi vestiget castra, locique
 Ingenium; cautusque notet, qua parte pateret
 Tractus ad assultum facilis, quaque arduus esset:
 Vincendus num strage foret, stragisne periclo:
 Tum quoque suggestus varios, ubi fulmina Martis
 Et sedeant, & quot sedeant; promptumne futurum,
 Reddat ut arbitrii proprii, dein reddita vertat
 Hostis in exitium: qualis custodia tales
 Excubet ad tumulos: peditum qua robora prima,
Majo-

Majoresque equitum vires statione morentur:
Austria qua demum maneat, qua Russica pubes.
Haec ubi comprehendit, solerti & mente recoxit;
Tum pugnam, pugnaeque viam decernit inire.
At dum praevideat, quo pacto vincere posset,
Tum quoque praeventit, victus si forte fuisset,
Qua potis exitium ratione evadere majus.
Sic etiam peragit princeps e gente luporum;
Quem vario functum discrimine reddidit aetas
Plurima: quem latrans adigit stomachusque famesque,
Ut pagum irrumpat, fociis alimenta sibique
Quaesitum; choreas ne ducere forte coactus
Concidat in latus, & comitum sit praeda suorum,
Ille per ambages, divortia perque viarum
Digerit audentes juvenes, & robore firmos:
Mox aditus omnes pagi perlustrat ad unum.
Obvius & si quis fuerit sibi visus, eundem
Viribus insignes nutu succedere cogit;
Et clamore canes in apertos ducere campos,
Quos focii excipiant, subigant & tendere secum
Ore vel admorsos, ictos aut verberare caudae
In nemora, ut rabidae sint illic praeda catervae.
Haec ubi dispexit, contemplatusque sagaci
Rex acie mentis, quae plurima suppetit illi;
In se descendit, rectoque examine vires
Expendit proprias, habiles & credidit esse:
Nempe vel ut vincat, faciat vel rite periculum
Vincendi, postquam vafros adstruxerit astus.
Ex his excussis recte pactumque viamque
Ad pugnam elicuit, quam definivit inire.
Non procul a Russi castris spatiosa patebat
Vallis, & ingentes extendebatur ad ulnas.

Abdidit hac multas, queis prompta audacia, turmas;
 Reddidit audentes quasque experientia, rerum
 Arbitra quae certa est; iussitque erumpere, signum
 Cum lituus dederit, celeres & praedicet ire,
 Est ubi concursus visus, confertaque pugna.
 Tum latere ex alio nigra caligine surgit
 Silva capax aevi, ramosque intonsa comantes;
 Queis nusquam admittit radios impervia solis.
 Hac etiam similes acies se condere iussae,
 Adque tubae primum clangorem emergere, seque
 Jungere cum reliquis, quae praelia viva cierent.
 Haec ubi disposuit, tum dextrum invadere cornu
 Ruffiadum finxit; sed tractu temporis ipso
 Et castra illorum rursus, positusque relegit;
 Edidit ingentes tumulos telluris; ibidem
 Martis & immensas moles aptavit, at illas,
 Queis procul immodicos orbis torquere facultas.
 His ita digestis, commentum invadere cornu,
 Impetere & telis, multasque admittere turmas.
 Impetus hic vero, & violenta impressio sensim
 Consenuit, laevam sed longe major in alam
 Incipit, & gliscit, nisuque efferbuit acri.
 Praecipuae huc vires, moles huc integra pugnae
 Incubuit, semperque novis assultibus urget.
 Tempore quo tectae silvis & valle phalanges
 Exiliunt, rectoque ferunt sese agmine, pugnam
 Qua focii exorsi, & jaciunt certamine parvas
 Perpetuo glandes; sub eodem & tempore centum
 Intorquent tormenta pilas muralia; quarum
 Horrida tempestas fumi jaculata procellas,
 Undantesque faces est visa simillima nubi
 A variis actae ventis, variisque figuris

Indutae: magnos illic emergere montes,
 Et naves alibi, & secum concurrere spectes:
 Ac foeto e gremio fulgetra & fulmina late
 Fundere, & in Coeli campis effingere pugnam
 Assimilem ferme, qualem Borussa Juventus,
 Rufficaque in terrae campis miscere videtur.
 At Borufforum talis fuit impetus, atque (15)
 Tam validus constansque, sua statione graduque
 Dimoti ut fuerint Russi, paulumque repulsi.
 Hoc Soltikoffi hoc autem veneranda senectus
 Horruit aspectu: nusquam quippe obuius ante
 Luminibus, quando Petro comes additus ibat.
 Horruit, haud timuit, sed contra exarsit in iram;
 Hujus ob impulsum calcaris & effodit ictu
 Alipedem, monuitque alacri contendere cursu:
 Qua primae extarent acies timidaeque, ferocesque;
 Ac partim pugnare, pedem partimque referre;
 Et partim sperare, metu partimque labare.
 Dum vero properat, venti perniciosior alis
 Praeteriit, qua prompta acies tunc altera stabat.
 Hic alte exeruit, dextramque obvertit in illam:
 Terque quaterque agitatur, capitis mox denique nutu
 Significat turmis, gressu contendere pleno,
 Suppetiasque venire suis formidine tactis,
 Objectisque diu flammae, ferroque petitis.
 Hoc simul annuerat, juga protinus omnia mota
 Corripuere viam, ferme ducis ocyus ipso
 Imperio capitis, jaetataeque indice dextrae:
 Exertantque suo nitidos ab acinace sclopos,
 Stringentesque procul tremulis fulgoribus auram.
 Sic etiam in flavas messes simul incidet Eurus,
 Tum motas segetes dubites praevertere malle,

Anne sequi potius ventum ab radice revulsas.
 Advenere, oculis possunt & cernere fixis
 Tot mutilos artus, dejectaque corpora terra,
 Et premere intrepidis plantis, madidisque cruore:
 Laxatasque audent acies implere, sinusque
 Claudere; nec mortes centum pallere; per ora
 Dum volitant actae bolidum pernicibus alis.
 Russiadum adventu tum funestissima pugna
 Incaluit, gliscitque magis; magis horrida clades
 Et gliscit: siquidem viso, quod copia gentis
 Afflueret Russae, novaque agmina semper adessent,
 Subsidium attritis turmis Fridericus & aequae
 Sufficit; hinc factum est, ut copia gentis utrinque
 Suppetat hostilis, quo copia stragis abundat.
 A proprio Russus cornu, Borussus & egit
 A proprio: his caesis, revocantur ab agmine turmae
 Tum medio, exhaustis dein altera reddidit ala.
 Sic pugna, in cornu quae pridem exarserat uno,
 Fit modo communis, pugnatque exercitus omnis.
 Principio assultus ut vero exceperat hostis
 Russiades, tractu sic temporis intulit arma
 Redditus aggressor, qui primum aggressus ab illo.
 Hic autem postquam glandes fudere canales,
 Conterere his longum tempus piget eminus: ire
 Cominus est ardor; rupto juvat ordine pugnam
 Pene catervatim, non jam velut ante viritum
 Conferere: hinc sese densae implicuere phalanges.
 Stat pedibus conferre pedem, signa obvia signis,
 Pectora pectoribus, subeuntes ensibus enses.
 Qui sibi consultum vellet, non ullus utrinque:
 At furor utrinque est hostem demittere morti.
 Quem vitare juvet, nusquam sibi deficit hostis:

Copia vitandi si nulla, quod hostis ubique est:
 Si jugulare velint, semper sibi sufficit hostis:
 Quem cito ni jugulent, citius jugulantur ab ipso.
 Undique sunt strages, sunt undique sanguinis annes;
 Undique corporibus stratis cumulatus acervus:
 Non modo quae juxta trajecit acinacis ictus;
 Sed quoque quae longe nusquam intermissa pilarum
 Diluvies jactu molis contorta curulis.
 Ad quadraginta passus distantis utrinque:
 Quod nunquam in pugnis aliis contingere visum est.
 At mea mens tandem dirarum ab imagine rerum
 Obstupuit, crinesque rigent, sub pectore pulsu
 Cor salit assiduo, vibrataque dextera nutat.
 Id mihi distanti; praesenti in turbine rerum
 At Rex Borussus viget imperterritus, hospes
 Semper & ipse sibi, nulla formidine victus
 Spiritus est fidens; imperturbatus & audet
 Per medias volitare faces, & mittere turmas
 Subsidio, exemplisque & vultu accendere missas
 Intrepido, gravidoque minis, plenoque vigoris.
 Cujus & haud subeat fiducia plurima mentem,
 Et non contemptor mortis, non sanguinis esset
 Prodigus, & sese flammis ultro inter & enses
 Invehat; ut tali placeat, talisque sequatur
 Clara exempla ducis? Qua scilicet adfuit ille,
 Aemula se virtus acuit, violentior ardor
 Ingruit, enixis & miles viribus instat;
 Cujus ut est gravior, sic segnior impetus hostis:
 Et pugnae facies distat diversa priori.
 Russiades etenim vel Martis cedit arenae;
 Inficit aut constans majori sanguinis unda:
 Quo ferus incumbit Borussus, & acrior urget,

Illius incurfus similis Zephyro esse videtur:
 Qui simul in rectas nemoroso vertice silvas
 Ingeminet, pronas evadere duxeris illas,
 Qua mites animae directo tramite vadunt.
 In mare sic etiam placidis si flatibus idem
 Inciderit, crispam decedere videris undam,
 Aeris & nitidos aspergine lambere campos,
 Et signare viam, liquidisque inscribere gemmis;
 Praestet ut obsequium, placitis & serviat auris.
 At Soltikoffi quamvis praesentia Russis
 Ingeneret fortes sensus, abigatque timorem:
 Et Borussiaci pariter frons strenua Regis
 Omnia spectantis, quasquas captantis & ansas
 Ingerit audentes animos firmosque catervis.
 Unde fit, ut sese pugnacior hostis uterque
 Obstinet: irarumque tenax occurrere malit,
 Quam fixos oculos ductorum offendere, sive
 Efficere, illorum sint tacta ut corda dolore:
 Dum consternatas acies fractasque videndo
 Quisque suas, pariter se vinci, & vincere speret.
 Inde recrudescit pugnandi audacior aestus,
 Nutat & ambigua, & regnat spes aequa, metusque.
 Ergo ubi nil aliud, quam clades, vulnera, mortes, (16)
 Obiectas frameis frameas, atque ignibus ignes
 Cernere erat: solumque metum, nullasque triumphi
 Spes bene regnantes, curas sed ubique vigentes:
 Res ita dum vertunt, testis Rex esse pavoris
 Pernegat invisus, dirimendi affectat at auctor.
 Sic ubi sperandi minor est, majorque timendi
 Objicitur facies: inibi celer ilicet idem
 Exoritur nec opinus; hiulci & fulminis instar
 Involat huc illuc: medium nunc inspicit agmen,
 Nunc

Nunc geminas alas: & eodem semper ubique est
Temporis articulo; dubites, cornu ne sinistro,
An dextro adstiterit; praesens an visus utrique.
Tam celer abripitur, tam fertur & alite cursu,
Ut bene credideris, fuerit quod ubique locorum
Multiplici aspectu, & specie non corporis una.
Sic etiam, quando nobis sopor irrigat artus,
Suspiciamus larvam saltu nunc scandere montem,
Praecipiti lapsu nunc volvi a vertice, cursu
Nunc nec opinato latos transmittere campos.
Tunc nobis, vacua quamvis ab imagine falsis,
Laetitiae ingenerat sensus argutia grati
Oris, & effulgens quae verberat instita talos.
Quod sopor illulis nobis, hoc exhibet actis
Rex, ubi praeproperus laeva decurrit ab ala
Ad dextram, rapidusque volat, recreatque catervas
Magnanimo aspectu, & vultu spirante vigorem;
Et docet exemplo, dictisque hortatur ad arma.
In facie illius virtus nitet ardua, seque
Insinuat turmis, & Martia pectora reddit,
Robustasque manus, & ahenea brachia praestat.
Hinc fuit, ut gravior pugnandi efferveat aestus,
Caedendique furor, jugulandi & faeva libido.
Artubus e mutilis jam late instrata videtur
Sanguinis & stagno polluta rubescere tellus.
Et quamquam armipotens Rex egerit omnia; quamquam
Omnia praestiterit, solers quae ductor & acer
Vel spe, vel saltem votis inhiaret obire:
Et quae seu miles non tantum natus ad arma
Belligero genio, sed longo exercitus usu,
Non modo non ausit, desperet at edere factis.
Omnia sed frustra: constans quippe impetus, atque
Stre-

Strenuus affultus Laudonis ab agmine natus
 Corrupt, Regisque operam frustratus & ausum.
 Hic simul ac vidit fessis non posse catervis
 Consulere, invitus propriae tum denique vitae
 Consultum voluit, quae plusquam exercitus esset
 In pretio, quam tot gladiis, viditque periculis
 Objectam; terebrata foret cum regia vestis
 Glandibus haud unis, non una parte niteret.
 Ergo abit, indicitque suis excedere pugna
 Non jam praecipiti, at fero, torvoque receptu.
 Quo facto, potior longe victoria Regi,
 Judice me, parta est; semet cum vicit, & aestus
 Pectoris indomiti, quam si disjecerit hostes:
 Vincere dum rursus posset, si vita superstes;
 Qua semel extincta, spes mortua quaeque fuisset.
 Haec ubi nil fulget: tum mentis lumine capti est,
 Magnanimi haud cordis certum discrimen obire.
 Quid vero interea, dum Vesuvius, Aetnaque secum (17)
 Concurrunt, totusque orbis spectatur abisse
 In stygias flammis, non sanguinis amne domandas,
 Quid tandem ille ferox, quid vinci nescius ille,
 Ille virum virtus, bello insuperabile pectus,
 Quid peragit Laudon? Qui claudit corde tot ignes
 Belligeros, quot & Aetna suis, & Vesuvius antris.
 O mea mens animi, gemino quae semper in orbe
 Telluris, Coelique volans spatia: senemque,
 Et cui genae labant, scribenti & dextera vibrat,
 Tendere quae cogis reuientem, & multa paventem
 Per rabidas acies, flammis, mortesque per ipsas:
 O age sis, mecum lustres, ubi denique Laudon:
 Inventum indigites referenti heroica gesta;
 Ut propius videam, & mandem, quae visa, papyro,
 Ver-

Vertenti decus, & seclis documenta futuris.
 Sed refero grates, illic quod dixeris esse,
 Multa galeritae quo tendunt agmina pubis,
 Aufriaco partim, Russo de germine partim.
 Gratia sit pariter, quod causam adjeceris una,
 O mea mens animi, flammis quare, inter & enses,
 Ut solemne sibi, & votorum summa fuorum,
 Haud modo versetur Laudon: discrimina nullus
 Ille fugit, meliora petit, lucroque futura
 Indubio: lustrat dum lynceus omnia, vidit,
 Tempore quod longo truculenta ea pugna teneret;
 Et palmas ideo, quas fera redemerit hora
 Aut caedis pretio, aut multi mercede cruoris,
 Respuit aversus, decrevit & addere finem.
 Hinc adiit Russos certamina dura cientes,
 Distineantque, rogat, non longo tempore pugnam;
 Subsidium ut ferret, se protinus affore, fessis.
 Est dictis adstructa fides; redivivus & ardor
 Incaluit, Russique iterant pugnacius ictus:
 Atque adeo, ut secum stupeat Borussus, & una
 Haereat, abjiciatque animos, se scire negetque;
 Unde viris vis illa recens, necopina coorta;
 Unde novus fervor, moriendi & nata libido.
 Sic ubi Borussus dubitat, dubiusque timorem
 Pectore concepit, cuperetque excedere pugna
 [Hoc opus est operae, deploratique laboris]
 Ecce improvisus Laudon irrumpit, & una
 Ecce tibi hirsutis pubes instructa galeris;
 Temporis in puncto qui jactavere per auras
 Innumeros orbis stygio vel pulvere foetos,
 Vel ferri abrupti frustis: volat illicet illa
 Ignea tempestas, volat autem innoxia; terram

At

At simul ac tetigit, non eluctabile gignit
 Tum porro exitium, plenus tum sulphure lychnus,
 Quas secum attulerat flammam, in glomeris alvum
 Invehit: exiliunt globuli vi pulveris acti,
 Effraëtiq; crepant, dentati & fragmina ferri
 Latius effundunt certam infligentia cladem.
 Ad casum illorum saltat Borussia juvenus,
 Funestosque catos ducit, fociisque sibi que
 Dum metuit: scissus sed profilit ocyus orbis,
 Altius & tendit, laceratque, & vulnera foeda
 Artibus infligit; quoquo gravis impetus illum
 Pulveris imegit. Pestis nova talis, & hostis
 Principio attonuit Borussiae pectora gentis,
 Russiadum optantis sese subducere ferro.
 Ast ubi compertum, quoniam via clausa saluti,
 Dum lateri inveheret Laudon, Laudonis & agmen,
 Unica ducta salus, ibi desperare salutem;
 Nec pecudum, forti jugulari at more virorum;
 Sintque ubi caedendi, minime caedantur inulti.
 Quid non excudit spes tota abscissa, fugaeque
 Interclusi aditus, objectaque mortis imago,
 Effugere instantem quam sola audacia possit?
 Propositum est igitur cunctis audere, morique
 Audendo, & propriae Laudonis morte litare.
 Sic leo, dum quavis fures a parte, canesque
 Inspicit urgentes, reliquum & nihil esse saluti,
 Arduus invehitur, ferit ungue, admordet & ore:
 Et mors grata sibi, mortem simul intulit illis:
 Vicerit id tantum, & lacerent se tela canesque.
 Scilicet est cunctis vindictae innata libido,
 Exigere & poenas damno solamen in ipso est.
 Laedere laedentes etiam formica studebit.

His

His acti furis sese invexere feroces:
 Nec sibi prospiciunt: irae indulgere cupido est,
 Exerere & vires omnes subit impetus: itur
 Non laudum stimulis, rabie bacchantis at aestus:
 Et postquam Austriaco, Russoque e germine quemquam
 Demisere neci, juvat aequo occurrere fini:
 Quod mortem intulerint illis, quorum objice factum,
 Ut via clausa sibi, ne mortem evadere possint.
 Est ibi, quam Russos contra violentior ergo
 Pugnandi furor, & moriendi insana voluptas.
 Haud aliter sulcat navis dum regia fluctus,
 Integra pugnant dumque obluetur in Euros,
 Inter id in syrtes si forte illata procellis
 Haeserit, haud ventos meminit vitare furentes;
 Sed vada, sed scopulos evadere plurima tendit,
 Imminet unde sibi gravius certumque periculum.
 Id simul excudit, tunc ventum infringere curat,
 Unde sibi levius, dubium discrimen & instat.
 Sic quoque Borussi toto conamine tantum
 Pellere Laudonem nixi, quod ducit & agmen:
 Inque alios Russos vadat, velut alea vadet.
 Saevitia hinc crescit, gravior si crescere possit,
 Densior & clades, & sanguinis amplior unda,
 Flammaramque acies, bolidumque frequentior imber.
 Inter & has fumi nubes, imbresque pilarum
 Arduus excurrit Laudon, acuitque catervas.
 Ite alacres: nihil ille furor vos terreat: ite;
 Et quoniam cupiunt, cupidos, age, dedite morti.
 Non erit, ut nimium teneat vesania talis:
 Deficiet vel sponte sua ferrove perempta.
 Haec ait, & rapido cursu palatur, aditque,
 Est ubi perpetuo majus discrimen ab igne,

Atque acies ferri plus sanguinis imbre rubescit.
 Auxilii o Mater, Davidis eburnea turris,
 O ades, addictumque tibi tueare clientem,
 Theresiae qui pugnat. Adest anne inclyta Mater
 Auxilii, nutusque sinu defendit amictum,
 Ne pluviae glandis, ferroque obnoxius iret?
 Certa fides ierit, sospes quod munere Matris
 Auxilii: nam septem armos ascendit equorum,
 A totidem postquam exiluit; quorum unus & alter
 Cernuus in caput occubuit, trajectus ab ictu
 Glandis, & haud una transfixi cuspide quinque,
 Non habiles ideo, sedeat queis sarcina Laudon.
 Protinus hic autem revoluti a tergo liber
 Emicat, & saltu sese jacit alite sani
 In tergum alipedis: ramum non ulla volucris
 Deferet, inque alium ramum velocior ibit,
 Quam septem alipedes Laudon dimisit, aditque.
 Ille ubi nil cessat, semperque ardentior urget,
 Ad pugnam & focios acuit, dum pugnat & ipse:
 Id demum excudit, fuerit quod major adempta
 Pars Borufforum, pars caetera cedat arena
 Sanguinea, & caesae vestita gentis acervo.
 Ac veluti torrens pluviis hiemalibus auctus
 Si cadat in ripas, quas villicus edidit olim,
 Assilit impugnans, cumulosque impingit aquarum;
 Et toties redit, est quoties compulsus abire;
 Et spumas vomit, & crepitanti murmure latrat:
 Nec cessat, vis donec aquae se deficit omnis,
 Derivata alio, atque assultu absumpta frequenti:
 Constat at immotus, quamvis attritior agger.
 Sic Boruffiaci filuit quoque militis ardor,
 Dum multi pugnandum inter fugere; vel illi,

Qui

Qui nisu obsistunt rabido, jacuere perempti.
 Undique tunc alis plausit victoria passis:
 Undique Ruffus io! conclamat, ioque triumphe!
 E quorum numero sunt ferme ad dena virorum
 Millia; quos socii lacrymis urfere peremptos,
 Trajectosque pilis, & adaeta cuspide caesos.
 E Boruffiacis sed copia faucia major,
 Major & extinctae dejecta a lumine vitae.
 Pernicie in tanta, talique in turbine rerum (18)
 Vel Boruffiaci nituit prudentia Regis.
 Substitit ille ferox, jussitque, equitatus ut una
 Sisteret, intereaque pedes perniciosior iret:
 Quem simul advertit longa regione remotum,
 Admonet, ut quadrupes celeri volet impete raptus:
 Atque ita sublatus se nimbus densus in auras
 Pulveris eveheret, tenebrisque obnuberet agmen
 Pergentis peditis, caecos & redderet hostes.
 Caecus at officii Laudon non redditus illis;
 Nam fortis validusque, velut nullo ante labore
 Defunctus, nulloque foret discrimine pugnae,
 Instat infractus, secumque adduxit equestres
 Non paucas acies, levior quibus armatura:
 Et sequitur profugos; id noctis donec adultae
 Umbra dedit, viguit donec sibi robur equorum.
 Hoc ubi destituit, tunc ille instare pepercit.
 Vis desertorum signis dilapsa relictis
 Affluit, & Ruffos adiit, terrasve remotas.
 Quin etiam in praedam victori copia cessit
 Tormentorum ingens, moles majorque minorque
 Quis erat, & numero plus sexaginta ducenta.
 Tympana quis porro, quis signa recenseat, & quis
 Insignis vexilla notae? Quis dixerit arma,

Seu diram quae glande ferunt, seu cuspide mortem?
 Quisve, quot amisit socios Borussica pubes?
 Qui prorsum extincti, bis millia fena fuere:
 Plus autem, variis queis faucia corpora telis.
 Transfugia accepit plus septem millia Russus:
 His etiam aequali numero sunt indita vincla.
 Nec mirum, fuerit quod copia talis adempta;
 Si tenuit septem discors ea pugna per horas,
 Principio infelix, felix mox denique Russis:
 Quos septem invasit vicibus Borussa juvenus
 Et rabie accensa, & totis conatibus usa;
 At totidem vicibus non parva strage repulsa.
 Unde autem Laudon capitum tot millia parvo (19)
 Temporis in tractu revocat, deduxit, adegit
 Hostis in exitium nil quidquam tale timentis,
 Fidentisque sibi, & palmam credentis adeptam?
 Kinskiades Princeps auctor fuit. Ille, quot olim
 Ut series excelsa atavum, meritisque togaque
 Quot sibi quaesivit titulos Pater inclytus, omnis
 Dum Boicae gentis vult lucrum augere, suoque
 Auxit in immensum studio, curaque perenni:
 Sic etiam illius natus contendit, aviti
 Ut tituli in majus crescant galeaque sagoque,
 Queis idem indutus recipitque, & reddit honorem.
 Strenuus est sumptis siquidem, sed strenuus armis
 Non temere: audentes flectit prudentia sensus
 Ingenitos animi, celsoque a sanguine natos:
 Cautus & expendit, superatque pericula fortis.
 Hunc voluit Laudon monitum, secernat ab omni
 Agmine robustos, compacto corpore, firmos
 Corde gal eritas, properetque adducere secum.
 Kinskius exequitur dictum; volat ocyor Euro;

Atque

Atque armatorum nimbos celer abripit illuc,
 Quo monitus fuerat, mediusque incedere gestit
 Arduus, & caedes inhians, quas edidit inde.
 Congeneres acies vivax Caramellis & egit, (20)
 Jufferat ut Laudon: porro Caramellidis ingens
 Gloria, quod Laudon socium sibi semper adesse
 Hunc velit; est certus siquidem, quod bellica virtus
 Illius quovis se possit ab hoste tueri:
 Quodque amor enixe cupiat, studioque fideli,
 Quam sibi, Laudoni metuat magis: unde periculum
 Si forte offendat, tum protinus objicit ille
 Pectus, ut exitio Laudon non obvius extet.
 Qualis amor, qualis virtus Caramellidis autem,
 Est quoque Laudonis, ne damno obnoxius is sit;
 Corde cupit, comitemque potest defendere dextra.
 Testis & haec pugna est, testis Mavortis arena (21)
 Thesea & Alciden una mirata ruentes,
 Sternentesque acies, palmas & ubique metentes
 Non minus aspectu, rapidi quam turbine ferri.
 Id patet, idque palam est: quod primus in agmine Laudon
 Tendere conspectus, jaculis non laesus ab ullis,
 Exacuit veluti sensus, spes militis auxit
 Prodigium insolitum, rarum mirantis: ubique
 Dum mortes volitant, Laudon quod sospes ibidem,
 Non ferro objecto laesus, non glandis & ictu.
 Corporis id ferme praesentia strenua vicit:
 Plus tamen obtinuit praesentia callida mentis
 Erectus suggestus erat, numerosaque supra
 Ipsius extabant tormenta curulia dorsum
 Assiduos imbres teretis torquentia plumbi,
 Exitium Russis certum latura catervis.
 Et quamvis juvenum robur, custodia talis

Adsti-

Adfiterit tumuli, numerusque haud parvus, & illinc
 Ingruerit flammae, & telorum copia major:
 Ut tamen advertit Laudon, jactura quod hostis
 Viribus accisis abituri a pulvere Martis,
 Ruffiadumque salus tumulo penderet ab illo:
 Victor ut hunc superet, quae multa obeunda videbat,
 Negligit haec solers, inhiatque pericula fortis;
 Strenuus agmen agens, & sicut aheneus esset,
 Aggreditur tumulum, Boruffosque exigit inde:
 Dedita pars quorum morti, pars caetera porro
 Conscivit discincta fugam. Muralia Laudon
 Evolvit tormenta, suos & vertit in hostes:
 Et ferit, & caedit, properosque faceffere cogit:
 Queis procul ejectis, Ruffus dominatur ubique;
 Colligit & spolia, hic illic quae sparsa manerent.
 Praeter & haec, dona emeritis partitur Elisa, (22)
 Quae stimulos addunt tentanda ad fortia quaeque:
 Munus ubi unius, sit cujus dedita fama,
 Obtinet, in cunctis oriatur ut aemula virtus.
 Perspicue id novit Moschorum Augusta, velutque
 Novit, & exhibuit cumulatis prodiga donis.
 Non temere haec autem, at studio largita sagaci.
 Est Soltikoffus dictus legatus, ut ejus
 Pendeat a nutu dictoque exercitus omnis.
 Caetera tum praeter, munus dedit illa perenne,
 Non ullum quod tempus edax damnaverit umbris.
 Sunt addicta viro spatia extensissima terrae;
 Ut velut aeternos eadem durabit in annos,
 Sic etiam doni monumentum insigne maneret,
 Pignus virtutum, & meriti custodia viva.
 Ex chalybe electo Laudoni est redditus ensis;
 Aureus huic capulus, silvaque adamantis opertus:
 Ut

Ut dextrae egregiae gladius respondeat aptus.
Aerea si dextra est, si brachia, suntque lacerti,
Sicut & illius virtus, adamantis ad instar,
Qui nulli cedit, nec ferro obnoxius ipsi est,
Sic adamas donum fieret, virtutis & index.
Aureus Austriacis, Russis & praestitus aequae
In capita: extinctis merces indulta vel ipsis;
Ipforum soboles ne vectigalia solvat.
Spes doni valida est, virtutis & unica radix:
Spe doni exoritur virtus, adolescit adeptis;
Atque ubi possessis fruitur, poma aurea gignit;
Dum monet exemplis, gestis imitentur ut omnes.
Exemplum ratio est, quam nullus diluet unquam;
Nam, fidis oculis ut mens assentiat, urget.
Propterea ingenio pollens Petrovna sagaci,
Ut magis exacuant, partita ea dona viritim est,
Quae labor impensus, virtusque exerta petebat.
O caput augustum, & quovis diademate majus!
O capitis mentem, qua magna angustior orbis!
Magnanimae o mentis solertia! munera novit
Quae merita, & praestat meritis industria dona.
Sed potius tacuisse foret leviora canenti
Dotibus eximiis, queis Russica Czara coruscat.
Tu veniam indulge potius, precor, Heroina:
Oceani immensi timido pede tangere primum
Quod fuerim aggressus littus; quibus ipsa redurdas,
Nam merita Oceanum credam. Sunt illa colenda,
Non recolenda mihi: potius veneratus adorem,
Quam referam: an potius non parcam fundere toto
Corde preces, semper transacto ut tempore fudi:
Mater ut Auxilii tecum sit prodiga Mater
Auxilii, tua vota libens acceptet, & ultro

Annuat, undanti quin reddat & ubere plena:
Et quodcunque rogas, quodcunque oblita rogare es,
Praestet, & adjiciat gaudens praevertere vota,
Spemque tuam. Spes ista subest mihi plurima porro;
Auxilii quod Mater erit tibi rite secunda:
Theresiae causae totis ubi viribus ipsa
Subsidia effundis, tum gratificare Parenti
Virgineae: reddetque vices tibi largior ista
Theresiam propter; cujus spes scilicet omnis
Auxilio divae Matris sic freta manebit,
Ut manet, & sospes mansit; quia sensit aperte
Plurima, ab infenso non inficianda vel ore,
Prodigia, & duxit miras illa auspice palmas.
Ejus ut auspiciis palmae cumulentur utrique,
Haec mea spes semper, semper mea vota rogabunt:
Ac mea spes stabit, mea vota & plena manebunt:
Utraque nam gestis merita est Augusta, quod oro.
Theresia o utinam cum Russis foedere juncta,
Queis sua Borussus Rex aggreget agmina juxta,
Ducat & in Turcas, veluti solet arte magistra,
Exemplo doceat, conspectu irriteret ad ausus!
Tunc foret, ut profugos Taurus non protegat usquam
Perpetua glacie, tumulis non Caucasus hirtis.
Atque utinam pariter maneat mihi vita superstes!
Non referam ut numeris, quorum interfecta potestas
A senio: accipiam bibulis sed ut auribus, utque
Ob partos manibus plaudam, laeterque triumphos.